

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Sturno H. B. S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Co. Mech. III, p. 75<sup>b</sup> Ad Patrem. 500

Parenti suo carissimo I. W. R.  
S. D.

Nullus mercator ex nundinis Lipsicis tam auidè lucrum expectat, quàm nos solemus literas tuas expectare: uerùm præclarè satisfecisti nobis misso Nicolao. Itaq; tibi agimus gratias ingentes pro hoc tuo officio, quòd libros nobis, quos uolebamus curasti. Magnum onus imponi nobis intelligimus, ut demus operam, ut tuæ summæ liberalitati nostra in studijs diligentia respondeat. Atque ego quidem polliceor, me pro uirili officium facturum esse: pudet planè uersuū, quos tibi nuper misistis, ac factos non propitijs misis. Nam cum Ambrosius hinc abiret, non concedebat emendandi spacium. Misimus tamen non ut uersus ipsos, sed ut studium atq; assiduitatem meam tibi probarem. Bene uale.

Sturno H. B.  
S. D.

Etsi mihi literæ tuæ gratissimæ fuerunt, doctissime Sturne: tamen dicam uerè quod res est, puduit me in hoc officij genere anteuertere. Nam cùm de me præclarè meritis sis, decuit me multò antè spectum aliquod meæ erga te gratitudinis mittere. Malo autem simpliciter fateri culpam, apud te hominem prudentissimum, quàm desidiæ meæ prætexere ineptam aliquam excusationem. Illud tantum

tum oro, quamlibet aliam causam tam diuturni fi-  
 lenij, potius esse dicas, quàm obliuionem tuorum  
 meritorum aut ingritudinem. Habere enim  
 plus quàm ferreum pectus, si huiusmodi beneficio-  
 rum obliuisci possem. Etenim etsi omnes pari fide  
 summa docuisti: tamen uisus es me summa semper  
 beneuolentia complecti. Quare tibi multo plus de-  
 beo, quàm ceteri commilitones mei, ac uelim tibi  
 persuadeas summa te pietate à me coli. Atq; ego,  
 ut hunc meum animum re testari malim quam uer-  
 bis, si fortuna mea sineret. Quæ si olim dabit mihi  
 facultatem referendæ gratiæ, perspicies clarus be-  
 neficia tua apud gratissimū hominem posita esse.  
 Interim has literas ceu *σωγχαφλὸν* mei erga te offi-  
 cij habebis. Quod uerò te amanter me ad studia  
 hortaris, gratissimum mihi est. Nec dubitas, quin  
 plurimum apud me ponderis adhortatio habeat  
 cum propter auctoritatem tuam, tum propter tuū  
 erga me amorem. Cui enim de studijs libentius as-  
 sentiar quàm tibi homini doctissimo? tum pro-  
 pter ætatem atq; usum maxime intelligemi uim ac  
 dignitatem literarum? Deinde si est humani inge-  
 nij amicorum monitis magis adfieri, quàm aliorū:  
 profectò apud me plurimum ualere debet eius ora-  
 tio, quo mihi secundum parentem nemo fuit unquā  
 amior. Ex N. intellexi te tua epigrammata æditi-  
 rum esse: quod ut facias, te etiam atq; etiam adhor-  
 tor.

tor, non solum ut nominis tui memoriam ad posteros extendas: sed ipsius Reipublicæ literariæ causa, cui plurimum utilitatis atq; ornamenti tua scripta adferent. Bene uale.

Ioanni Riuiο H. B.

S. D.

Quod mihi mandas, ut cum ijs commercium habeam, quorum consuetudine melior fiam: improbos uerò et à literis abhorrentes fugiam, tanquam pestem: primum, ut debeo, magnas habeo gratias, quod tam officiosè res meas curas. Sequar autem hac in re Hesiodi cōsiliū, qui *ωλυφιλίαν* improbat: quæ si unquam, imò maxime perniciosa est in his corruptissimis moribus. Cum paucis mihi familiaritas est, quibus utar socijs horum nostrorum studiorum: quæ res quantum prosint, admonet nos sapientissimus uates, cū ait: *σὺν τε δὴ ἑρχομένῳ*, nosti enim uersum.

De sodalitiō meo facile potes coniecturam facere, pro tua singulari prudentiā ex hac oratione mea: in qua si quæ comparent notæ doctrinæ & studij, intelligi potest, nihil esse mihi negocij cum ijs, qui per inertiam omnia honesta studia fugiunt. Bene uale.

Patri